Cracov. Stud. Univ. Jag.
Promotiones Phil. Ord.
1608

Michalovicii Stanisl: Laureae philosophicae virtute et doctrina praestantissimis octo adolescentibus.

Poczyn 2798.

LAVREÆ PHILOSOPHICÆ, VIRTVTE ET DOCTRINA PRÆSTANTISSIMIS octo adolescentibus:

DVM IN ACADEMIA CRACOuień primos in Philosophia honores adirent.

A

Stanislao Michałouicio oblata.

CRACOVIÆ,
Apud Viduam Iacobi Sibeneycher, Anno Dñi
1608.

VIRTVTE DVCE,

FRVCTVS

LABORIS

VBERRIMVS.

Aureum vellus Iasonis.

CHRISTO: FALECIO.

TE nimium stimulat Phryxæi velleris ardor,
Iasone cum claro pandere vela iubet.
Intrepidus pandis, superas magnumq; laborem,
E templo vellus Pieridumq; capis.
Præmia quæ sumis sunt aurêi velleris instar;
Auratum vellus mystica laurus habet.
Iasone cum claro gaude iam sorte cupita,
Vellere quæsito namq; potire tuo.

EIDEM.

ÆGrè quæ tribuit singula cæteris,
Hæc natura tibi contulit omnia
Effusè; indeq; nomen,
Tantum concilias tibi:
Vt non tot pariat Gargara semine
Fruges: Hybla thymos, & neque tot ferat:
Non tot littus arenas;
Quot tu laudibus emines.
Testis præcipuæ est palma scientiæ.
Nam lauro tenera vertice nobili
Sertum gloria nectit
Æternum tribuens decus.

Ægis Persei.

GREGORIO MALINOVIO.

PErsea fama canit; sed Pallados Ægide cinctum
Dissecuisse tuum dira Medusa caput.
Inuigilas Musis dum tu noctesq; diesq;
Continuus, cedit blanda Medusa tibi.
Vincis & illecebras, & lenocinia temnis,
Ægide te cinxit iure Minerua sua.
Vincis, nam clares redimitus tempora lauro:
Vincere: non vinci Laurus odora notat.
Desine fama tuum iam Persea ferre: nouumq;
Effer: vera placet res mage, ficta sile.

EIDEM.

Syrenibus Camœnæ,
Quondam graui duello
Victis tulêre earum
Alas: sibiq; serta
Fecêre. Grande signum.
Istud fuit triumphi.
Acheloidum suaue
Carmen labore vincis,
Grande spolium reportas.

Nam cingeris corona
Texta virente lauro
Tempora. Graui labori
Et ſedulo, Camœnis
Semper inimica ſponte
Cedit fugax voluptas.

Aureus ramus Maronis.

STANISLAO WARCENSI Siſtauio:

QVàm te delectat latitans ſuper arbore ramus
Aureus obſcura, laurea pulchra docet.
Æneam ſequeris tolerando dura, requiris
Diues vbi lætam ramus opacat humum.
Ingrederis ſyluam Phæbi; cum fortè columbæ
E cælo veniunt ipſa ſub ora tibi,
Virtus atque labor: demiſſas Palladis almæ
Vt cognoſcis aues, mox comitare libens.
Altè veſtigas animo, quò tendere pergant:
Obſeruas, ducibus ſic reperisq; locum.
brevis. En optata tibi per cunctos aura refulſit
Auri: iam ramo tempora cinge ſacro.

EIDEM.

PRiſca, Cleantem ſecta ſtupeſcunt,
Magnisq́; viris laudibus æquant.
Te quoque totum fama per orbem
Vehet, atque altum vertice ſummo
Feries cælum bone Siſtavi.
Namq́ue Cleantes reddere noſtris
Alter terris: aduerſa ſubis
Omnia, nunquam Palladis almæ
Sequier ceſſas dulcia caſtra.
Nil te reuocat, nilq́; retardat,
Agis in ſomnes ſollers noctes.
Ergo Cleantem priſca vetuſtas
Miretur, eris tu Siſtaui:
Docte, Cleantes alter nobis.

Aurea mala Heſperidum.

IOANNI FONTANO.

HOrtos Heſperidum vigili ſeruante dracone,
Sublato Alcides aurea mala tulit.
Hortos Pieridum vigili ſeruante labore
Euicto de hortis aurea mala capis.
Aurea mala capis, ſunt iſthæc aurea mala
Digna tuis meritis. Gloria, laurus, Honos.
Alcides precium tulit aurea Poma laborum:
Aurea tuq́; tui poma laboris habe.

EIDEM.

EIDEM.

Fælix es bene noueris
Qui diſcernere quid bonum
Vnà quidué perenne ſit.
Non curas Libycas opes:
Non quicquid fodit Occidens:
Aut vnda Tagus aurea
Claro deuehit alueo.
Æterni ſtimulat tuam
Mentem ſolus amor Boni.
Suadet ſcilicet inclytas
Artes, atque Choros ſequi
Muſarum. Sapis & vir es.
Semper Muſa manens, virum
Dignum laude vetat mori.

Moly Homeri.

ADAMO PASCOVICIO.

Radicem eſſe nigram ſed florem Moly nitentem
Mœonij vatis culta Camœna docet.
Radices eius nigras expertus es: atque
Cœptam non ceſſas continuare viam.

Iam

Iam tibi flos ortus; iam dona ſalubria ſumis
Éque labore tuo, gaudia vera capis.
Vir fuit, & ſapuit: qui eſt Moly expertus Vlyſſes:
Tu quoque es expertus, tu ſapis atque vires.

EIDEM.

FAma miratrix ſenioris æui
Extulit multos celebri per orbem
Laude, qui Muſas didicêre laurum
Quiué tulêre.
Non minor laus eſt tua Paſcouici,
Nam quibus falli ſolet & refelli
Veritas tecto malè nota vultu,
Pandis elenchos.
Pandis & formis variis ſolutum
Lite diſcordi chaos, & latentis
Prima Naturæ peritura nullis
Semina ſeclis.
Sumis hinc caſtæ diadema laurus
Comparas nomenq; tibi perenne
Quid? nihil clarum ſinit interire
Aurea Clio.

Perenne laboris præmium.

IOANNI CWIKLINIO.

Quid

QVid leuis ambitio? quid fraude, tyrānnide, magnis
Gloria parta opibus? fumus & vmbra leuis.
Fraude Sinon, auro Crœſus, fuit Annibal armis
Clarus, laus horum dic vbi quæſo latet?
Gloria quid multo ſudore parata? ſequatur
Serò licet verùm ſola perennis erit.
Eſt tibi laus multo ſudore parata Ioannes.
Ergo quis emeritum tollet ab orbe decus?
Non fatum, nō tempus edax, non Mulciber atrox;
Cætera quæ vitiant, hoc vitiare queunt.

EIDEM.

NOn ſemper mare nauitam procellis
Iactat, non latet aureus ſub vndis
Semper Cynthius, at citis viciſsim
Innubem reuehit diem quadrigis.
Ecquid Caſtalidûm decus ſororum
Nullis ô Cwiclini tacende linguis
Semper ſollicitis mouêre curis?
Tandem pectore ſemoue dolores.
Optatum cape præmium. mereris,
Lauro cinge comas Apollinari.
Sudaſti, ſatis eſt; tuos perennis
Sudores ſequitur breues voluptas.

Intacta gloria.

IOANNI IANOVICIO.

Liuori mœror tua virtus, gloria magna
Eſt tibi. Quid? meritus laurea ſerta capis.
Quid tibi liuor edax? immotus laude vigebis.
Scilicet, haud petitur laurus ab igne Iouis.
Laude vireſce tua ſemper. Parnaſside lauro
Cingere; nempe viret laurus aduſta gelu.

EIDEM.

QVàm mira virtus, moribus exprimis,
Noſtiq; rectum. nam ſimilis tuæ
Eſt vita doctrinæ Ioannes:
Vt meritò iuuenem ſenectus
(Fas vera fari) te cupiat ſuis
Præferre canis, ſcilicet & tui
Mirentur æquales, & optent
Vt ſimilis tibi, quisq; fiat.
Morum venuſtas, eloquii vigor,
Doctrina multis parta laboribus,
Phœbęa laurus laudis omni
Te faciunt cumulo beatum.
Præclarus ergo creueris indies,
Magis magisq; Inſigne aliquid parat
Numen: tuo memento dignum
Principio impoſuiſſe finem.

Laboris præmium.

ADAMO RICEROVICIO:

PRæmia digna labor poſcit. Victoribus olim
Laurea ſerta dabat Martia Roma ſuis.
Quid tibi pro meritis? Lauro præcingere frontem,
Virtutem meritus concomitetur honos.
Scilicet ecce tuo meruiſti ſerta labore
Laurea; iam dignus laurea ſerta cape.

EIDEM.

QValis vere nouo roſæ
Latè ſparſus odor ſurgit amabilis,
Cum Phœbus roſeam diem.
Diſpellens tenebras lumine fulgido
Curru prouehit aureo.
Talis tu Iuuenum de medio, inclytis
Fulges clarus honoribus;
Lauro dum viridi cingere verticem.
Laus hæc maxima maximis,
Eſt, & digna tuis palma laboribus.
O quantò melioribus
Nunc tu iam meritis perfrueris bonis.
Quàm qui vicerit Iſthmia
Quæ vanis celebrat Græcia laudibus.